



Forum Ecclesiasticum

In Quo Jus Canonicum Universum, Librorum Ac Titulorum Ordine Per Quæstiones Et Responsa, Tam Canonistarum Veterum & Recentiorum, quàm Legistarum, in iis, quæ Utrique Juri, Canonico Et Civili Communia Sunt, Autoritate stabilita, Methodo clara & facili explanantur

Leuren, Peter

Moguntiae, 1720

Quæst. 178. An & qui Hæretici poenâ pecuniariâ puniri possint.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73982](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73982)

Pirh. l. c. Idem de servis, non quidem baptizatis, dum Dominus in Hæresin incidit, intendentibus tamen baptizari, seu Catechumenis, quod congruum sit, & illos plenè donari libertate, (non tamen ipso jure) eò, quòd id cedat in augmentum & favorem Religionis Catholicæ, tenent Penia in *director. Inquis. p. 3. comment. 168. vers. an autem. Castrop. l. c.*

Quest. 176. An & qualiter Heretici priventur quoque aliis juribus & obligationibus, quibus alios sibi obstrictos habent.

R Esp. Affirmativè juxta clarum textum *C. absolutos*, ubi dicitur: absolutos se noverint à debito fidelitatis, dominii & totius obsequii, quicumque ipsis manifestè in Hæresim aliquo pacto quacunque firmitate vallato obstricti. Sic itaque Vasalli, famuli & famulæ, non secus ac servi, seu mancipia, liberantur à fidelitate & obsequiis, quibus obstricti Domino, talem post sententiam declaratoriam Hæresis, vel etiam, ut alii citati, *quest. preced.* quos sequitur Reiffenst. *h. t. 309.* citatis insuper Gonz. in *C. absolutos. n. 1.* Fagn. & Barb. *ibidem. n. 3.* ipso jure ante illam. Sic quicumque debens aliquid Hæretico titulo emptionis, promissionis, commutationis, mutui, pignoris, depositi, alteriusve contractus redditur immunis ab obligatione, & non tenetur servare promissum pactum vel contractum, aut fidem etiam juratò datam Hæretico, Abb. *l. c. n. 1.* Farin. *de Hæres. q. 189. à n. 57.* Castrop. *n. 19.* Pirh. *n. 82.* Reiffenst. *h. t. n. 312.* Limitatur hoc ipsum tamen à Castrop. *n. 20.* dum credit, probabilius esse, quod debitores possint ac debeant Hæretico solvere debita, & præstare obsequia alia ante sententiam declaratoriam Hæresis, secus post illam, quia sicut ante illam fiscus occupare non potest bona Hæretici, privando illum possessione & administratione illorum, sic post sententiam illa solvere non potest debita creditori, quia jam sunt fisci. Limitandum secundò: ita ut, licet quivis liberetur à privata fide, facta Hæretico, ut Farin. *cit. q. 197. n. 24.* Clar. *§. Hæresis. n. 16.* Zechius *Sum. p. 1. tit. de fide. C. 11. de Hæret. n. 16.* Simanc. *de Cathol. instit. tit. 46. à n. 52.* Castrop. *cit. p. 25. n. 22.* fides tamen publica data Hæretico à Principe, Republica, vel alia autoritate publica, servanda sit, ita exigente bono communi, quin & jure gentium, & attestante S. Scriptura, *Josue C. 9. v. 18. & 2. Reg. c. 21. v. 6.* nec non aliis historiis lacris, Deum graviter ultum fuisse violationem fidei publicæ, ac ita juxta *C. absolutos.* & arg. *C. 1. & 2. de pact. l. 1. ff. cod. L. postliminii. §. 3. ff. de Captivis.* tenent Farin. *l. c.* Clar. *n. 18.* Menoch. *conf. 106. n. 226.* Castrop. *l. c.* Pirh. *n. 83.* cum communi. Sic v. g. si Inquisitor (utpote quibus concessa ampla potestas temperandi pœnas, ex *C. ut commissi. h. t. in 6.*) promississet Hæretico, le facturum ei gratiam, si crimen fateretur, ei fatenti illud fidem servare debet; Secus tamen, si omnimodam immunitatem promississet, quia, cum id non poterat, aliam servare non debebat; quamvis & tunc non ad pœnam ordinariam, sed ad aliquam extraordinariam condemnare debeat, cum talis confessio esset dolosè extorta; sic Castrop. *l. c.* cum Penia *l. c. p. 3. comm. 23. vers. jam in hoc.* Quòd verò contra datam à Concilio Constantiensi fidem Hussius non fuerit combustus, demonstratum vide apud Becan. *de fide. C. 16. q. 6.* & Reiffenst. *h. t. n. 10. 318.*

Quest. 177. An & qualiter pœna Hereticorum sit destructio domus, in qua exercita hereticalia.

R Esp. Esse funditus evertendam, & nunquam reparandam; idem dicendum de domo, in qua Hæreticus se occultavit, ne ab Inquisitoribus caperetur, asserunt Penia *l. c. comm. 92. circa finem.* Farin. *q. 190. §. 2. à n. 30.* Zanch. *de Hæret. C. 39. & 40.* apud Castrop. *n. 23.* iis consentientem. Si verò non de consensu Domini, sed conductoris domus ibi Hæretici conveniunt, non destruendam domum, sed conductorem, ut fautorem Hæreticorum, aliis pœnis, v. g. pecuniæ, verberum, exilii juxta conditionem personæ puniendum, ex *L. Arriani. §. cunctis. C. h. t.* tradunt Farin. *l. c. num. 39.* Decian. *L. §. C. § 1. num. 50.* De cætero, quandoque ad publicam utilitatem vel terrorem destruendam, etiam si Dominus nesciverit, ibidem exercita hereticalia, reddito tamen tum pretio domus Domino, ait Castrop. *l. c.*

Quest. 178. An & qui Heretici pœnâ pecuniariâ puniri possint.

R Esp. Pœnam pecuniariam Hæreticis, non tantum Laicis, sed etiam Clericis imponi posse officio Inquisitoris, aut ad pios usus applicandam, cum *Gl. in Clem. 2. h. t. v. illicitis.* tradunt Farinac. *de Hæresi q. 193. §. 6. n. 108. & 109.* Pirh. *h. t. num. 93.* Hanc verò pœnam pecuniariam Inquisitor vel Episcopus imponere potest Hæreticis pœnitentibus, suspectis de Hæresi, non tamen Hæreticis confessis, convictis, impenitentibus; cum contra hos jure statutæ pœnæ certæ & determinatæ, quas Judex mitigare non potest, Farin. *n. 117. & 120.* Pirh. *l. c.*

Quest. 179. An & quibus Hereticis imponi possit pœna carceris?

R Esp. Quamvis Hæreticis pœnitentibus de rigore juris imponi possit, & sæpe imponatur, pœna carceris perpetui, idque extra dubium sit, juxta *C. excommunicamus. d. 2. h. t.* & *Gl. ibi. v. si qui.* Farin. *de Hæres. q. 193. n. 101.* Castrop. *tr. 4. d. p. 1. num. 1.* & alii communiter; ad illum tamen damnari non possunt, qui tantum de Hæresi suspecti; cum hæc pœna solis à fide expressè deficientibus, & in Hæresi deprehensis, (quales in ordine ad hanc pœnam dicuntur, qui notoriè sunt Hæretici, vel legisimè de Hæresi suspecti) statuitur, neque qui errorem suum fatentur, antequam dicta testium eis publicata sunt, sed solum ii, qui post publicationem testium errorem suum facti plenè, veræ pœnitentiæ signa dederunt, Farin. *l. c. n. 103.* Rojas. *tr. de Hæret. p. 2. n. 197. & seq.* Penia *l. c. p. 3. q. 93. comment. 142.* Simanc. *de Cathol. instit. tit. 47. à n. 29.* Castrop. *l. c.* Pirh. *h. t. n. 191.* quem tamen etiam carcerem perpetuum debitum Hæreticis pœnitentibus post publicationem testium ex aliqua iustâ gravique causâ ab Inquisitoribus cum Episcopis mitigari posse, & ad brevius tempus ad eorum arbitrium, spectata inclusi humilitate, aut alias pœnas extraordinarias, (v. g. exilii, triremis ad triennium, ut cum Farin. Castrop. *p. 2. n. 1.* secundum potestatem illis concessam in *L. commissi. h. t. in 6.* tradit Castrop. *l. c. n. 2.* cum Farin. *l. c. n. 94. 96. & 104.* Clar. *§. Hæres. n. 7.* Eymer. in *director. inquisiti. p. 3. q. 93. & 96.* & aliis; & quamvis carcer ille, ut dicitur *Clem. 1. h. t. §. propter.* magis ad pœnam, quàm custodiam deservire debeat, non tamen debere esse ita arctum & durum, ut hac ratione vita incarcerationi abbreviaretur, ne aliàs Judices fidei